



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXIII. De Congregatione Examinis Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

sub prætextu magni laboris aut expensarum, quæ faciendæ fortè essent pro revisione, mercedis loco acceptent. Res vero tractantur in ea summarie sine forma judiciali, prout de aliis quibusdam Congregationibus dictum est. De Luca disc. 19. Rel. Cur. Rom.

CAPUT XXIII.

De S. Congregatione Examinis Episcoporum.

1. Gregorius XIV præscripsit formam promovendæ Praesules ad Ecclesias.
2. Clemens VIII. examinari eos voluit in Congregatione à se instituta.
3. Qui interfunt Congregationi, & ex quibus facultatibus examinent.
4. Tres vel quatuor in una Congregatione examinantur.
5. Quomodo examen instituat.
6. Peracto examine disquiritur an examinatus admittendus, vel rejiciendus sit.
7. Qui sint liberi ab hoc examine.

1. Grego.

F.

Gregorius XIV. edidit Anno 1591. Constitutionem, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, quæ præscripsit formam promovendi ac præficiendi Præsules Ecclesiis Cathedralibus ac Metropolitanis ex mente Concilii Tridentini, cui ipse ante ascensionem Purpuræ interfuit veluti Episcopus Cremonensis Nicolaus Sfondratus dictus.

2. Hujus Pontificis vestigiis insistens Successor ejus immediatus Clemens VIII. examen Promovendorum in Italia ad Episcopatus publicum & solenne institui voluit coram se & quibusdam Cardinalibus, ex quibus peculiarem hunc in finem Congregationem erexit.

3. Constat hæc Congregatio ex octo decemve aut tot Cardinalibus, quot voluerit Pontifex, nonnullis Prælatiſ & Religioſis diverſorum Ordinum Theologiæ & Canonum peritiſ; Ex hiſ aliqui ſunt ſtabiles & fixi, veluti Rotæ Decanus, Vicesgerens, & Magiſter S. Palatii; Reliqui aſſumuntur ad libitum Pape, qui promovendum examinant ex ea facultate, in qua quiſque verſatus eſt, videlicet ex Canonibus & Decretis, ex
Theo-

Theologia Scholastica & Morali, quamvis ut plurimum examen hoc ad pauculas quasdam quæstiones easque non valde difficiles ex Theologia Morali hoc tempore restringi solet.

4. Examinari non solent in una Congregatione plures promovendi quam quatuor, nec pauciores quam tres, proindeque si tres minimum non sint, qui examini se sistant, Congregatio convocari non solet, nisi aliud Pontifici videatur, quod examinandus tantæ sit proficiæ & dignitatis, ut non congruat eum cum aliis in examine concurrere.

5. Cum Pontifex & constituti Cardinales cæterique Examinatores congregati sunt in Palatio Pontificio, introducit ad locum consuetum Examinis per Vicesgerentem examinandus, ubi coram Pontifice cæterisque Congregatis, promovendus genibus flexis super pulvinari examen subit. Et quamvis omnes potestatem habeant examinandi, non solent tamen plures quam tres, duo nimirum ex inferiori ordine Examinatorum, & unus Cardinalis, quem Pontifex determinaverit, quæstiones proponere.

Peraçto

6. Peracto examine exquirat Pontifex vota singulorum, an examinatus rejici vel approbari mereatur; Si plurimum calculo approbetur, inscribitur nomen ejus à Secretario Congregationis libro, qui ab eodem asservatur. Si vero examinatus, repulsam patiat, quod subinde, rarius tamen accidit nonnullis, etiam perquam peritis & idoneis, sed Majestate confessus territis & turbatis, admittitur ad novum aliquod examen privatum coram quibusdam Cardinalibus, vel uno etiam, prout Pontifex ordinavit, instituendum.

7. Cardinales pro Episcopatu nominati non subjiciuntur huic examini; Neque Episcopi semel examinati, qui ad alium Episcopatum transferuntur, ad novum examen revocantur, secus vero, si antea examen non subverint. Aliquando etiam Papa Prælatos ad Ecclesias promovendos, quorum doctrina, virtus, experientia nota est, utpote qui in Legationibus vel in Judiciis Curia aliisque gravioribus negotiis exercitati fuerunt, sine examine ex Congregatione dimittit; Quæ gratia etiam Personis valde illustribus pro Ecclesiis nominatis

natis

722 De Congregatione Fabrica
natis fieri solet- De Luca Rel. Rom. Cur.
disc. 21.

CAPUT XXIV.

De S. Congregatione Fabri-
cæ, ejusque Tribunali.

1. Julius II. concessit gratias iis, qui conferunt ad
structuram templi S. Petri, & constituit Com-
missarios, qui eleemosynas colligerent.
2. Quorum facultates auxit Leo X.
3. Clemens VII. eas temperavit & instituit Col-
legium 60. virorum pro curanda fabrica.
4. Cui amplas concessit facultates & privile-
gia.
5. Judicis causarum Fabricæ ampla facultas.
6. Ab eo appellatio solum datur ad Collegium.
7. Aliæ facultates Judicis & Collegii.
8. Præsidens Collegii est Archi-Presbyter san-
cti Petri.
8. Præter ordinarios Officiales instituit Clemens
VIII. Congregationem Cardinalium; ideo due
sunt Congregationes Fabricæ major & mi-
nor.
10. & 11. Quod sit Officium congregationis.
12. In utraque Congregatione tractantur con-
tentiosa, & æconomica.

13. &